



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Epistola X. Ivstvs Baronivs Veteracastrensis A. S. E. H. SP.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)

clesiæ Catholicæ statum florentiorem, exulium calamitatem tolerabiliorem, famam tuam plurimis seculis diuturniorem efficias. Vale. Mogun. 16. Cal. Iunij. M. DCIV.

EPISTOLA X.

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS A.S.E.H. S.P.D.

PLVRIMVM affecit *Patres* nostros tua in scribendo humanitas, gratumq; magis ipsis quàm molestum fuit, suum abs te in hoc præsertim officiorum genere desiderari studium. Optant vnicè, crebrius scribas, haustisque acidulis, quas saluberrimas tibi mecum precantur, præsens colloquere: humanissimo præsertim ac doctissimo illi *Mulhusino*, cuius genium delibasti iam olim, gustares plenius, si anchoram hic aliquandiu tuam figeres. Sed video pulsum remorum tuorum: ah non satis felicem Esto: non præternavigabis tamen, quin illa *κατάρα & πικρὴ ἰατρὰ* atque vngues ulcerum vestrorum cominus salutes, & leui velitati uncula periclitere. Erit hoc illis longe iucundissimum, tibi vero utilissimum: quem virum doctum & prudentem imperitis nugis tamdiu adhærescere, non pauci mirantur, plures dolent. Sed quis no-
uit,

uit, ^a quahora Patrifamiliâs novos vinea sua ^a Matth. 20
operarios aduocare libeat. Sunt intra Ecclesi- 6.
am fortes milites: sunt extra Ecclesiam for-
tes perduelles, ne nimis cito depugnatum
fidei prælium torpidum reddat orbem, at-
que industriæ constantiæque laudem adi-
mat probatis: quos quo fine hic vel cami-
nus vel Mars intestinus exerceat, Apосто-
lus, docuit, cum ait: ^b oportet hereses esse, ut ^{b1. Cor. 11.}
qui probati sunt, manifesti fiant. Ego te mi N. ^{19.}
cum pristinis amicis, Præceptoribus & di-
scipulis meis tam longè ab hæresi abesse
cupio, quàm longè abest ^c Felix illa Roma- ^{c Tertull de}
na Ecclesia, ^d ad quam perfidia non potest ha- ^{Præsc. c. 36.}
bere accessum. ^e Huic Ecclesiæ etsi maximè ho- ^{d Cypr. E-}
diè Rainoldus vester, Pareus, Polanus, &c. ^{pist. 45.}
more maiorum suorum hæretico succo ^{e Leo Magn.}
suffartorum Principatum existimant dene- ^{Epist. ad E-}
gandum, illius tamen nullo modo poterunt mi- ^{pisc. Vien-}
nuere dignitatem, sed inflati spiritu superbia ^{nens. pro-}
semetipsos (nià mente desciscant) in inferna ^{uinc.}
demergent. Authores non nomino, nosti i-
pse, si Tertullianum, Cyprianum, Leonem
Magnum nosti. Nec plura addo, ne qui sa-
lutare institui, disputare videar. Tu Vale, &
nos amantes tui pari affectu comple-
ctere. Mogunt. 12. Calend. Iulij.

M.DCIV.